

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Venerando uiro, D.N.N. Diacono ecclesiae Dei in urbe Stendalia, amico suo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

xima tantum disidium inter duos professores doctrinae coelestis, profectò magno in dolore fuisset. Doleo & ipse diuelli nostra agmina, & uoluntates hominum à doctrina coelesti alienari, propter non necessarias contentiones. Hortatus sum Musculum, ut aut omittat propugnationem suae opinionis, quam uideo displicere multis bonis et doctis uiris: aut certe agat lenius. Quid opus est eum inferre bellum omnibus omnium nostrarum Ecclesiarum doctoribus, & anteferre illis idolorum cultores: propterea quod dicunt, temperantiã esse necessariam, & ieiunium ceremoniale non esse necessariam uiam certi temporis bidui aut tridui, ut loquitur? Quæso ut tu quoque ei sis hortator, ut communem cõcordiam tueatur. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem tibi non ingratham fore arbitrabar. Bene uale, & rescribe. 1546.

Venerando uiro, D. N. N. Diacono Ecclesiae Dei in urbe Stendalia,  
amico suo,

S. D. Reuerendus dominus pastor Ecclesiae nostrae, doctor Ioannes Bugenbadius cupit te in Pomeraniam, in aulam episcopi Caminefis mittere, ut ibi non solum cõcionatoris munere fungaris: sed etiam usui sis in Ecclesiasticis controuersijs audientis: meque iussit ad te scribere, ac explorare tuam uoluntatem.

luntatē. Omnino locum honestum, & ingenio tuo,  
de quo ambo præclare sentimus, dignum tibi pro-  
mittit. Et spero utiliter te patriæ in ea gubernatio-  
ne seruiturum esse, si mandari tibi eam functionē  
sines. Quæso, ut mihi respondeas. Literas mittere  
D. Hieronymus Staude, aut Magister Laurentius  
poterit. Bene uale. Die 12 Augusti.

Nobilitate generis & studijs literarū or-  
nato, Vuolfgango de Eisenberch, a-  
mico suo,

S. D. Mea officia non defutura fuissent adole-  
sceni, de quo scribis, si ad me cum tuo testimonio  
uenisset: libenter enim amplector tuos, propterea  
quòd de tuo ingenio semper bene existimaui. Sed il-  
le adolescens, quisquis est, si non habet certam con-  
ditionem: meo iudicio rectius faciet, si non prope-  
rabit ad gradum. Titulus aliquid habet oneris. ui-  
des meum exemplum: nemo me percellere potuit,  
ut illum quamlibet honorificum titulum Doctoris  
mibi decerni sinerem. Nec ego gradus illos parui-  
facio: sed ideo, quia iudico esse magna onera & ne-  
cessaria Reipublicæ, uerecundè petendos esse, &  
conferendos, sentio. Ad D. Georgium ideo nõdum  
pastorem misi, quia cœlibem adhuc inue-  
nire non potui. Vale, 6 Maij, An-

no 47.

t 3 Reue-